altaria, templa, vasa sacra; vel concomitanter, ut labor, motus corporis cum ministeriis et functionibus sacris conjunctis: vel consequenter, ut si decima detur ob ministeria haec peracta.

Simonia dividitur in mentalem, conventionalem, et realem. 140.
Mentalis est, si alicui dono aliquid, ut mihi rependat spirituale, licet alter non advertat, et cogitet, me ex hac intentione hoc facere, nec etiam ego meam intentionem exprimo. Conventionalis est, quam alii vocant confidentialem, et etiam dicitur realis incompleta, et fit, quando promittitur spirituale pro temporali, nondum tamen fit actualis traditio, debet tamen hoc intentio exprimi. Si autem hoc res ipso facto tradatur, tunc est externa, et realis completa. Simonia ex genere suo est peccatum mortale, nec datur parvitas materiae circa illam.

Licet in sacramentis circa materiam proximam non possit intervenire pactum, bene tamen circa remotam, ut potest oleum in unctione vel potest panis et vinum in Eucharistia poterunt exigere pretium, quatenus nondum sunt consecrata, sic enim nondum sunt res spirituales, sed vere res pretio aestimabiles et commensurabiles. Si autem labor sit nimius in administratione sacramentorum, tunc distinguo, si est labor sumatur specifice, ut est concomitans in genere actionis sacrae, sic non potest accipi pretium, bene vero si generice sumatur, ut prout afficiat tantum defessum in gratiam alterius peractum; ergo etiam Christus operarios in vinea sua spirituali dixerit esse dignos mercede sua. Accipere non aliquid per modum stipendii, seu ut portio sustentationis licite quis potest, praesertim si aliunde non habeat congruam sustentationem, nam si pro ministerio temporali debetur alicui congrua sustentatio, multo magis illa debetur ob ministerium spirituale.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
© Universitätsbibliothek Heidelberg
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/salVIII59_2/0597
gefördert durch Baden-Württemberg